


Johann Quistorp

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Quistorpius, SS.
Th. D. Et Prof. Facult. Senior, & Rostochiensium Superattendens, Ad Exequias
Quas Filiolo suo scitißimo Joanni Cunrado Corfinio, Moestissimi Parentes
parabunt, Omnes Academiae Cives sedulo invitat**

Rostochii: Kilius, 1648

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770462359>

Druck Freier  Zugang



Qvistorp, J.,
in J. C. Corfinius.

R. 1648.

30

PROGRAMMA

Quo

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
JOHANNES QUISTORPIUS,
SS. TH. D. ET PROF. FACULT.
Senior, & Rostochiensium
Superattendens,

AD EXSEQUIAS

QUAS

Filiolo suo scitissimo

JOANNI CVNRADO

CORFINIO,

Mœstissimi Parentes pa-
rabunt,

*Omnes Academia Civēs sedulo
invitat.*



1648



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO 1648.

30

26

Non ultima matrimoniorum felicitas ea semper habita fuit, si liberi nascantur: si, qui nati, boni & laudabiles: denique si superstites sint. Quis enim tam ignarus est omnium rerum, qui nesciat, vel tam hebeti obtusoq. ingenio, qui non intelligat: conjugium sine prole, quæ communis veterum & vera est sententia, nihil aliud esse, quam mundum sine sole, eosque qui liberis careant, magnâ nec contemnenda felicitatis parte carere? Heroas illos sacros, Abrahamum & alios magno in mærore vixisse accepimus, quam diu sine prole fuerunt: ubi liberos consecuti sunt, gavisos esse tanquam ingenti ac præstanti aliquo bono.
Magna

Magna nimirum utilitas est, senectutis habere fulcra, adjutoria & praesidia: nec exigua voluptas habere, in quibus etiam post mortem victurus esse videaris. Cujusmodi sunt liberi bene nati & optimè educati, eum maxime verò masculi, quorum, ut est apud poëtam, *Μείζονες ψυχαί*; qui *κύλοι* sunt *οίκων*, &

— *magna potentia matrum* —

At quantum in luctum Parentes vicissim conjici putatis, cum gaudii huius usurâ privantur, cum liberos, quos cuique natura carissimos esse voluit, vel in tenera ætate vel aliquanto provectiore amittunt. Non vanè poeta ille tragicus, quem Scali-ger Homerum thymelicum appella-
lat:

Τί γδ' ἂν μείζον τῶδ' ἐπιθνατῆς

Πάθ' ὀφείλουσιν

Ἡ τέκνα θανόντ' εἰσιδεῖσθαι.

A 2

Quod

Quod enim hominibus majus hoc malum invenias, quàm intueri mortuos liberos. Nec abs re Timantes olim vultum Agamemnonis patris, quem in Iphigeniæ filiaë immolatione dignè non poterat ostendere, velavit, & suo cujusque animo æstimandum dedit. Non est operæ pretium aliunde exempla mutuari, cum domi, quod ajunt, ea nobis abunde nascantur. Ac ne longius abeam, in virum reverenda dignatione juxta ac eruditione Clarissimum DN. JOHANNEM CORFINIUM ad B. Virginis Ecclesiasten, Collegam & in Christo fratrem nostrum colendum intueamur, & apparebit, quàm acerbus ipsi ad dolorem acciderit obitus filiolli, & quidem primogeniti, quem primitias seu principium virtutum & virium patris sacra litera indigent.

tant. Editus Is in hanc mundi sce-
nam AN. clo lxx. XLII. d. XXVIII.
Junij, & per lavacrum regeneratio-
nis sine mora Conservatori nostro
instar palmitis viti insertus fuit. In
hoc quidē filiolo suo Parentes spem
maximam & præclarissimam collo-
cabant. Et quis non collocaret in
eo, cujus ex oculis verecundia, ex
vultu modestia, gratia ex toto cor-
pore, festivitas singularis ex mori-
bus eminebat? qui ingenio patrem
mirā quadam similitudine exscri-
pturus videbatur? qui denique pie-
tate in DEUM, observantiā erga pa-
rētes, pro ætatis suæ modulo, omnia
eximia & præclara de se polliceba-
tur? sed ô fallaces hominum spes!
ô fragilem fortunam! ô inania vo-
ta! Qui vitæ suæ spacium in multam
annorum seriem protracturus vide-
batur;

batur: eheu quam praefestinè extremum
vitæ diem confecit eâ ipsâ atatulâ, quæ à
subterraneo illo thesauro, ut Tertullianus
appellat, quo mortui jacent, quàm lon-
gissimè abesse credebatur. Nam ipsa Domi-
nica, quam vocant, Quinquagesima ardor,
febrilis, cui in subsidium venerunt lumbrici,
fragrantissimam hanc plantulam, anno ab-
hinc quasi sexto enatam, vehementer infesta-
vit; & tandem nudius tertius hora sexta ma-
tutina suffocavit. O acerbam illius horæ re-
cordationem! ubi jam est ille, quo viso vul-
tum relaxabant parentes? ubi oculi, quibus
mirificè pascebantur? ubi manus, quibus
suavisimè amplexabantur? ubi ille acceptus
occursum? illa patre conspecto puerilis hila-
ritas? quæ parentum animos non secus de-
lectat, ac prima Solis orientis crepuscula ri-
dere blandius solent. Ubi illa omnia? ceci-
dit corona capitis; cecidit scipio senectæ,
Non potest igitur, Vir reverende & clarissi-
me, Collega & in Christo frater colende, pri-
mo aspectu dura tibi non videri & acerba hæc
separatio; non potest quin

— *premas altum corde dolorem:*

Veruntamen à luctu nimio animū, ut corda-
tum & gravem decet virum, revocabis: De-
umq;

umq; eo ipso, quod agrè tibi forsàn facit, sapienter: te vero, si obmurmures, indecenter facere, certo tibi persuadebis. Tu in luctu domestico & funere familiari eo animo esse noveris, quo alios in simili casu esse voluisti, immo non raro persuasisti. Vixit filiulus tuus brevi quidem tempore: sed tamè bene vixit: profecto quidem bene mortuus est: dum animulam suam balbutienti lingua & gembūdo pectore subinde Servatori suo commendavit: dumq; male vivendi discriminib⁹ ereptus, beatarum jam mentiū additus est consortio: additus avo suo paterno M. JOANNI CORFINIO Ecclesiastæ olim ad ædem S. Jacobi per triginta annos & quod excurrit, bene meritissimo, & reverendi in super Ministerij, antequam hoc mundo exiret, Seniori dignissimo. Additus est aviæ paternæ ELISABETÆ PAULLI, fæminæ, cum in vivis esset, pietate cæterisq; virtutum laudibus ornatisimæ. Additus denique pro avo suo SIMONI PAULLI, Theologiæ D. & Professori olim celeberrimo, Rostochiensium item Superattendenti vigilantissimo. O te JOANNEM CUNRADUM verè beatum, indigitem cœli! Quid interest, quàm cito exieris, unde utiq; exeundum erat. Eò aspiramus omnes, è tristissimo exilio in patriam.

triam, è durissima servitute in verissimam libertatem. Eò, cum præpotentissimo illi æternòq; Biarcho visum fuerit (quod bono Ecclesiæ publico non nisi sero fiat) sequetur te PATER tuus reverendus & clarissimus Vir DN. M. JOANNES CORFINIUS, Ecclesiastes ad B. Virginis fidelissimus, Collega noster dilectissimus: te sequentur suo tempore MATER matrisissima MARIA BRAWERS, fæmina optimè morata. Te insequetur aliquando Avus maternus CUNRADUS BRAWER, Centumvir apud nos integerrim⁹: Avia materna CATHARINA Beselin⁹, matrona honestissima, ex vetustissima apud nos BESELINORUM prosapia oriunda. Te insequi serius aut citius cogitamus omnes, quotquot hodie sanus tuum sequimur.

Quod ut frequentes sequamini, CIVES ACADEMICI, pro vestro erga Defuncti Parentem studio, obnixè oro. Magnam partem luctus ejus allevatum iri credibile est, ubi filiolo suo honorificè funus duci videbit. Agnoscat ipse vestram erga se voluntatè, quantumq; in sese erit, omnib⁹ vicissim studii quicquid idest officii remunerari studebit. PP. Rostochii d. XXIV. FEBR. AN. cl^o l^oc XLIX,

*Conventus fiet hora prima in Aede
B. Virgini sacra.*

umq; eo ipso, quod agrè tibi
pienter: te vero, si obmurm
facere, certo tibi persuadebis.
mestico & funere familiari eo
veris, quo alios in simili cas
immo non raro persuasisti. Vi
breui quidem tempore: sed ta
profecto quidem bene morte u
mulam suam balbutienti lingu
pectore subinde Servatori suo
dumq; male vivendi discrimini
tarum jam mentiū additus est o
tus avo suo paterno M. JOANN
Ecclesiastæ olim ad ædem S. Jac
ta annos & quod excurrit, ben
& reverendi in super Ministerij,
mundo exiret, Seniori dignis
est aviæ paternæ ELISABET
fæminæ, cum in vivis esset, pi
virtutum laudibus ornatisima
nique pro avo suo SIMONI Pa
logiæ D. & Professori olim cele
stochiensium item Superatten
tissimo. O te JOANNEM C
verè beatum, indigitem cœli!
quàm cito exieris, unde utiq; ex
Eò aspiramus omnes, è tristissim



ter, fa
enter
u do
e no
uisti,
tuus
vixit:
ani
pūdo
lavit:
bea
addi
NIO
igin
mo,
hoc
ditus
LLI,
risq;
s de
neo
Ro
lan
UM
rest,
erat.
pa
am.